Ut autem et vos sciatis quæ circa me sunt quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater et fidelis minister in Domino,

Quem misi ad vos in hoc ipsum ut cognoscatis quæ circa nos sunt, et consoletur corda vestra.

Pax fratribus et charitas cum fide a Deo Patre et Domino Jesu Christo.

Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione. Amen.

Ut autem et vos sciatis (circumstantias) quæ circa me sunt (et) quid agam (in carcere meo), omnia (quæ ad me spectant) vobis nota faciet Tychicus charissimus frater (meus in Domino), et fidelis minister (prout diaconus mihi ministrans) in Domino (colendo);

Quem misi ad vos in hoc ipsum (obtinendum, scilicet), ut cognoscatis (qualia sunt temporalia) quæ circa nos sunt, et (ut) consoletur corda vestra (ne animo deficiatis propter tribulationes quas pro Christo patior).

Pax (a Deo detur) fratribus (nostris), et charitas (eorum augeatur simul) cum (eorum) fide a Deo Patre et Domino Jesu Christo.

Gratia (Dei sit) cum omnibus (illis), qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum, (servantes cor suum et observantes cultum ejus) in incorruptione (seu incorrupte, pure, et sincere). Amen.

FINIS EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

EPISTOLA B. PAULI AD PHILIPPENSES

ARGUMENTUM.

Philippenses a se conversos hortatur Apostolus in hac epistola ut in fide Christi perstent et pergant, nec propter vincula, quibus detinetur, animo deficiant. Illos monet ut a Judaismo et a judaizantibus legalia Mosis servanda esse docentibus caveant, nec magis Simoni Mago et ejus asseclis Christum vere esse crucifixum negantibus assentiantur. Deinde eos hortatur ad virtutes christiano dignas, humilitatem, charitatem et concordiam.

Hæc epistola anno Christi 60 scripta fuit, tunc cum in vinculis secunda vice alligatus esset Paulus.

CAPUT PRIMUM.

Apostolus Philippenses ad perseverandum in fide et in bonis operibus, tum verbis tum exemplo suo adhortatur. Gaudet quòd Christus, quoquo modo fiat, annuntietur. Quamvis se dissolvi et esse cum Christo vehementer cupiat, tamen ad eorum consolationem se mansurum esse significat; eos ad persecutiones ferendas invitat.

Paulus et Timotheus servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus,

Paulus et Timotheus, servi Jesu Christi, omnibus sanctis (seu fidelibus baptizati et credentibus in Christo Jesu, qui (nunc) sunt Philippis, cum (seu simul et) episcopis[1] (seu presbyteris) et diaconibus (optamus ut)

[1] Hæc nomina « Episcopus et Presbyter » communia olim erant Episcopis et sacerdotibus.

Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.

Gratia vobis et pax (dentur et serventur) a Deo Patre nostro et (Filio ejus) Domino (nostro) Jesu Christo.

Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri,

Gratias ago Deo meo, in omni memoria vestri (seu quoties vestri recordor, et)

Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens,

Semper in cunctis orationibus meis (quas) pro omnibus vobis (ago), cum gaudio deprecationem (et gratiarum actionem illi sum) faciens,

Super communicatione vestra in Evangelio Christi a prima die usque nunc,

Super communicatione vestra (qua vos donavit ut edoceremini) in Evangelio Christi, (et super compassione quam conceditis laboribus meis, pro Evangelio susceptis) a prima die (qua conversi estis) usque nunc ; et ego sum)

Confidens hoc ipsum quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu,

Confidens hoc ipsum, (scilicet), quia (seu quòd ille Deus), qui cœpit in vobis (hoc conversionis vestræ) opus bonum, (illud, vobis gratiæ ejus conniventibus), perficiet, (et vestram perseverantiam confirmabit) usque in diem (secundi adventus) Christi Jesu (qui judex vester et vitæ vestræ christianæ remunerator erit. Confido vos perseveraturos esse, inquam),

Sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis eo quòd habeam vos in corde, et in vinculis meis et in defensione et confirmatione Evangelii, socios gaudii

Sicut est mihi justum hoc sentire (et sperare) pro omnibus vobis, eo quòd (pro certo) habeam vos, in corde (seu in mea memoria, socios et adjutores fuisse in omnibus tribulationibus meis) et in vinculis meis et in defensione et confirmatione Evangelii (et) socios gaudii mei omnes vos esse ; (unde firmiter spero quòd Deus, in

hujus fervoris vestri et charitatis vestræ gratiam, vobis dabit ut in ejus fide et gratia perseveretis et perficiamini. Hoc pro vobis spero et valde opto, inquam) ;

mei omnes vos esse.

Testis enim mihi est Deus quomodo (et quam vehementer) cupiam (seu amem) vos ; (eadem enim dilectione vos prosequor, quæ pro vobis efferbuit) in visceribus Jesu Christi : (vestram in Deum et in me charitatem memorans, illum pro vobis deprecor)

Testis enim mihi est Deus quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi :

Et hoc oro ut (hæc) charitas vestra, (quam in promovendo Evangelio necnon et in compatiendo vinculis meis exhibuistis), magis ac magis abundet in (omni) scientia (rerum fidei et salutis) et in omni sensu (seu in mente vestra ; ita)

Et hoc oro ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu,

Ut probetis (et discernatis quæ sint) potiora, (utrum melior et verior sit Simonis Magi et aliorum judaizantium doctrina an mea, et) ut sitis sinceri, (fidem vestram non miscentes hæresi aut Judaismo), et (ambuletis) sine offensa (seu inoffenso pede in via christiana usque) in diem (adventus) Christi, (et sitis)

Ut probetis potiora, ut sitis sinceri et sine offensa in diem Christi,

Repleti fructu justitiæ, (quem colligere poteritis) per (solum) Jesum Christum, (et qui redundabit) in gloriam et (in) laudem Dei. (Quod ad me et ad mea vincula spectat, nolite eo turbari ; e contra)

Repleti fructu justitiæ per Jesum Christum in gloriam et laudem Dei.

Scire *autem* vos volo, fratres, quia (seu quòd (illa mala et vincula), quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evan-

Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt magis ad pro-

fectum venerunt Evangelii,

gelii, (nedum meum impedirent ministerium) :

Ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio et in cæteris omnibus,

Ita (enim vinctus et afflictus sum), ut (per hæc) vincula mea (nomen et gloria Dei) manifesta fierent, (et ut omnes scirent me vinctum esse non propter scelera sed) in Christo (seu propter Christum, sicut revera notum est) in omni prætorio (et in aula Neronis) et in cæteris omnibus (plateis et vicis Romæ, quæ inde occasionem habuerunt audiendi me loquentem de fide et de Evangelio Christi, denique)

Et plures e fratribus in Domino, confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.

Et (ut) plures a fratribus (nostris), in Domino confidentes, (qui me) in vinculis meis (et eos per vincula mea animavit), abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui (seu Evangelium prædicare. Scio quòd non item sit de omnibus prædicatoribus quoad Evangelium quod prædicant ; nam),

Quidam quidem et propter invidiam et contentionem, quidam autem et propter bonam voluntatem Christum prædicant :

Quidam *quidem* (ex eis) nonnisi suam gloriam quærentes evangelizant propter se) et propter (nostri) invidiam et (propter fovendam) contentionem ; quidam autem sinceri præcones) propter (et secundum) bonam (et rectam) voluntatem, (scilicet ad gloriam Dei promovendam), Christum prædicant. (Illi posteriores)

Quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum.

Quidam ex charitate (et amore Dei et mei Evangelium prædicant : et) scientes quoniam (seu quòd in vinculis, nonnisi) in defensionem Evangelii (coram Nerone mox faciendam), positus sum : (ideo co-

nantur per prædicationem suam omnibus persuadere meam et Evangelii causam esse justam. Priores)

Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.

Quidam autem ex contentione (et fraudulenter) Christum annuntiant, non sincere (nec propter gloriam Dei loquentes ; sed) existimantes (sunt quòd, quo magis Evangelium propagaverint, eo majorem a Nerone, cui dicunt me hujus propagationis solum auctorem esse, iram et) pressuram se (adversus me) suscitare (in) vinculis meis ; (et inde sperant quòd, me per eorum invidiam interrempto, soli evangelizabunt. Sed errant qui putant me propter hoc dolere) :

Quid enim ? dum omni modo sive per occasionem sive per veritatem Christus annuntietur, et in hoc gaudeo sed et gaudebo.

Quid enim (doloris inde mihi evenire potest ? Nihil) : dum omni modo, (seu dummodo enim et quacumque via), sive per occasionem (seu prætextum) sive per veritatem (et verum zelum) Christus annuntietur, (ego contentus sum) et in hoc gaudeo sed et (semper) gaudebo.

Scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem per vestram orationem et subministrationem Spiritus Jesu Christi,

Scio enim quia (seu quòd) hoc (eorum odium, quo mihi Neronis iram conciliare student), mihi proveniet ad salutem (sive præsentem sive futuram ; et hanc salutem mihi proventuram spero) per vestram (pro me continuam) orationem et (per) subministrationem (seu donationem gratiæ) Spiritus Jesu Christi, (quam vestra oratio pro me impetrabit ; ita mihi fiet)

Secundum expectationem et spem meam quia

Secundum expectationem et spem meam, (qua confido) quia (seu quòd, quidquid ex iis mihi adveniat), in nullo (modo) con-

in nullo confundar; sed in omni fiducia sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo sive per vitam sive per mortem :

Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum :

Quòd si vivere in carne hic mihi fructus operis est, et quid eligam ignoro :

Coarctor autem e duobus : desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius ; permanere autem in carne necessarium propter vos:

Et hoc confidens scio quia manebo et permanebo omnibus vobis ad profectum ve-

fundar, (quia nullius veræ culpæ mihi conscius sum) ; sed in omni fiducia (spero quòd), sicut semper, et nunc magnificabitur (et glorificabitur) Christus in corpore meo sive per vitam (meam quam ei, si mihi relicta fuerit, consecrabo), sive per mortem (meam quæ in gloriam ejus proficiet : quid igitur molestiæ mihi inferre possunt, siquidem)

Mihi *enim* vivere, (id est, vitæ meæ causa) Christus est (qui mihi lumen et spiritus et vita est tum naturalis tum supernaturalis tum beata in cœlo) ; et (mihi) mori (potius) lucrum (quam damnum erit, siquidem mors temporalis mihi vitam æternam afferet) :

Quòd si (diutius) vivere in carne (mea et) hic (in terra) mihi (bonum) est, (nescio) ; et quid eligam, (vitamne an mortem), ignoro :

Coarctor autem e duobus, (quæ me utrinque quasi medium premunt, scilicet : ex una parte sum) desiderium habens (per mortem ab hoc corpore) dissolvi et esse (regnans in cœlis) cum Christo, (et hoc) multo magis (desiderandum et mihi) melius (esse videtur ; ex altera parte) me permanere autem in (hac mea) carne necessarium (est) propter vos : (dico autem vobis),

Et hoc confidens (et persuasum habens quòd vobis adhuc necessarius sum), scio quia (seu quòd) manebo et permanebo (cum) omnibus vobis, (1° ut vacare queam)

ad profectum vestrum et (ad) gaudium (et solamen) fidei (vestræ, et 2°)

strum et gaudium fidei,

Ut gratulatio (et gloriatio) vestra, (qua gloriamini quòd per me ad Christum sitis conversi), abundet in Christo Jesu (qui laudabitur) in me (seu propter me vinculis liberatum et vobis reddendum) per meum adventum iterum ad vos. (Hoc autem)

Ut gratulatio vestra abundet in Christo Jesu in me per meum adventum iterum ad vos :

Tantum (vobis commendo quòd) digne Evangelio Christi, (sicut Christi discipulos decet), conversamini, ut, sive cum (apud vos) venero et videro vos, sive (cum) absens (sum et ero), audiam de vobis quia (seu quòd) statis (omnes), in uno spiritu (quoad fidem et mutuam charitatem) unanimes, (concorditer) collaborantes fidei Evangelii (promovendæ),

Tantum digne Evangelio Christi conversamini, ut, sive cum venero et videro vos, sive absens audiam de vobis quia statis in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii,

Et (ut audiam quòd) in nullo terreamini (periculo vobis) ab adversariis (intentato : moneo enim vos quòd illa persecutio) quæ illis est causa perditionis vobis *autem* (est causa) salutis, et (quòd) hoc a Deo (sic ordinatum est ad vestram futuram gloriam. Igitur gaudete)

Et in nullo terreamini ab adversariis ; quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis ; et hoc a Deo :

Quia (seu quòd) vobis donatum est pro Christo (seu quoad Christum), non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini,

Quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis sed ut etiam pro illo patiamini,

Idem certamen (pro Evangelio sustinendum) habentes, quale et vidistis (impositum) in me et (quale) nunc audistis

Idem certamen habentes quale et vidistis in me et

nunc audistis de me.

de me (in vinculis detendo et virgis cæso).

CAPUT II.

Philippenses ambitione et schismate laborantes incitat Apostolus ad humilitatem et mutuam charitatem, tum exemplo Christi qui propter nos se usque ad mortem humiliavit ideoque exaltatus est, tum ex metu et reverentia Dei qui operatur in nobis velle et perficere proindeque ipsam salutem. Eos hortatur ut Gentilibus quasi luminaria præluceant. Ait se ad eos missurum Timotheum et Epaphroditum qui eos consolentur et ad profectum incitent.

Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis,

Si (ali)qua ergo consolatio (expectanda est a christianis) in Christo (adunatis), si (ali)quod solatium (sperandum est ex parte) charitatis (quam alii aliis debemus), si (ali)qua (est) societas spiritus (inter vos), si (ali)qua viscera miserationis (seu aliqua compassio in vobis est ad invicem et speciatim erga me apostolum vestrum hodie pro vobis vinctum ; per hanc charitatem, per hunc Spiritum, per hæc viscera vos hoc rogo, scilicet) :

Implete gaudium meum ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes idipsum sentientes,

Implete gaudium meum, (quo me afficere cœpistis per vestram meo ministerio collaborationem, satagendo) ut idem (tam in fide quam in affectu) sapiatis, eamdem (et mutuam) charitatem habentes ; (sic estote) unanimes, (ut una eademque anima in omnibus sit ; estote) idipsum sentientes (et credentes et amantes),

Nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes,

Nihil (agentes) per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate (alios) superiores (esse) sibi invicem arbi-

trantes, (unoquoque considerante defectus et vitia quæ a se habet et dona quæ alii habent a Deo) ;

Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum ;

Non quæ sua sunt (commoda) singuli (sint) considerantes, sed (ea) quæ sunt (proxima utilitati) aliorum : (uno verbo),

Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu,

Hoc *enim* sentite in vobis (ad invicem) quod (visum) et (actum est) in Christo Jesu,

Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo,

Qui, cum (et quamvis) in forma (et majestate) Dei (particeps) esset, (et quamvis) non rapinam (se facere legitime) arbitratus est (putando et dicendo) esse se æqualem Deo (siquidem Deo Patri vere æqualis erat, noluit tamen suam producere divinam majestatem) ;

Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo.

Sed semetipsum exinanivit (adeo ut) formam (seu naturam) servi accipiens (fuerit, et) in similitudinem (non apparentem sed substantialem) hominum factus (fuerit), et (præ) habitu (ejus exteriori) inventus (et visus fuerit) ut homo (talis quales sumus) :

Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis:

Humiliavit semetipsum, (inquam, et) factus est (Patri suo) obediens (non solum usque ad mortem (communem sed) usque (ad) mortem *autem* crucis ; (qua plectebantur servi et infames : hoc autem magno incitamento esse vobis debet : nam)

Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen,

Propter (hoc autem) quòd (se sic humiliavit, a Patre suo glorificatus est ; et Deus exaltavit illum, (etiam in quantum homo erat, super omnes Angelos in cœlo) ; et donavit illi nomen (Filii Dei, non in eo

sensu quòd illud Christus nonnisi post resurrectionem suam acceperit, sed quòd solummodo tunc in notitia et fama apud homines in toto mundo fuerit illud nomen) ; quod (adeo elevatum) est super omne nomen,

Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum,

Ut in (hoc) nomine Jesu (invocato) omne genu (et caput et anima) flectatur (tum spirituum) cœlestium (tum creaturarum) terrestrium et (entium) infernorum,

Et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

Et omnis lingua (cœlestium, terrestrium et infernorum) confiteatur quia (seu quòd hic) Dominus (noster) Jesus Christus, (in quantum Deus), in gloria (et in essentia Divinitatis) est (cum Deo Patre, et, quatenus homo, evectus sit ad dexteram) Dei (sui) Patris, (non eodem modo quo sancti, sed in eadem gloria ac gloria ipsius Dei. Item de vobis erit ; et si instar Jesu humiles estis, cum illo exaltabimini).

Itaque, charissimi mei, sicut semper obedistis non ut in præsentia mei tantum sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram salutem operamini :

Itaque, charissimi mei, (in humilitate et absque contentione, Dei præceptis et consiliis meis obedite) sicut (usque nunc) semper obedistis, non ut in præsentia mei (seu propter præsentiam meam) tantum, (ut solent discipuli præsente magistro obedire et studere) ; sed (obedite) multo magis nunc in absentia mea ; (et nonnisi) cum metu et tremore vestram salutem operamini, (humiliter animo reputantes vos de gratia et de perseverantia vestra incertos esse) :

Deus est enim qui operatur in

Deus est enim qui operatur in vobis (quodvis bonum) et velle, (vos per suam

gratiam præveniens et incitans ut libere velitis) et (possitis) perficere (omne quod necessarium est ad vestram salutem ; et hoc operatur Deus in vobis) pro (sua ipsius erga vos) bona voluntate (seu juxta beneplacitum suum. Vobis commendavi ut a contentione et inani gloria abstineatis ; et ad illud consilium rediens, dico) :

vobis et velle et perficere pro bona voluntate,

Omnia autem facite sine murmurationibus et hæsitationibus,

Omnia *autem* facite sine murmurationibus et (sine) hæsitationibus (seu dissidiis, ita)

Ut sitis sine querela et simplices filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo,

Ut sitis (cum aliis conversantes) sine (ulla data eis) querela (seu causa querelæ), et (sitis) simplices (et sinceri ut esse debent) filii Dei, sine reprehensione (contra vos legitime suscitata, animo cogitantes quòd vitam agitis) in medio nationis pravæ et perversæ (et in medio hominum tenebris obsitorum), inter quos lucetis (seu lucere debetis) sicut luminaria in (hoc tenebroso) mundo (posita, ut salutis portus illis a vobis demonstretur : insuper estote)

Verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri neque in vacuum laboravi,

Verbum vitæ, (quod vobis a me traditum est), continentes (et studiose servantes, ne vobis eripiatur et ut illud omnibus integrum ostendere possitis) ad meam gloriam in die (secundi adventus Jesu) Christi, (et ego gloriari possim) quia (seu quòd in curriculo ministerii mei) non in vacuum cucurri, neque, (dum vestræ saluti operam meam dedi), in vacuum laboravi. (Multum enim pro vobis laboravi) ;

Sed et si immo-

Sed et si (etiam) immolor (et martyrum

lor supra sacrificium et obsequium fidei vestræ, gaudeo et congratulor omnibus vobis :

subiturus sum) supra (seu propter vestram fidem quæ est quasi) sacrificium (Deo a me oblatum, et propter) obsequium fidei vestræ (a vobis mihi datum), gaudeo et (insuper) congratulor (seu congratulabor) omnibus vobis (quòd martyrium apostoli vestri multo honori et magnæ consolationi erit vobis : propter)

Idipsum autem et vos gaudete et congratulamini mihi.

Idipsum (martyrium meum) autem et vos gaudete et congratulamini mihi, (qui moriendo laboris mei mercedem accipiam).

Spero autem in Domino Jesu Timotheum me cito mittere ad vos, ut et ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt.

Spero autem, in Domino Jesu (permittente), Timotheum me (posse) cito mittere ad vos ; (unde fiet) ut et ego bono (et erecto) animo sim (præ rebus per eum) cognitis (et mihi ab ipso relatis), quæ circa vos sunt (seu ad vos spectant. Thimotheum libenter et confidenter ad vos mittam, inquam) ;

Neminem enim habeo tam unanimem qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit.

Neminem enim habeo tam (pari mecum animo) unanimem, qui (tam) sincera affectione pro vobis (et pro vestra salute) sollicitus sit : (plerique)

Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi :

Omnes enim (ex his, qui mecum sunt), quæ sua sunt, (nempe suam quietem, securitatem, commodamque vitam) quærunt, non (prius autem quærunt ea) quæ sunt (ad majorem gloriam) Jesu Christi ; (itaque propter viæ longitudinem et periculum eos non mittam. Quod ad Timotheum autem attinet, hoc duplex documentum seu)

Experimentum *autem* ejus cognoscite, (primum scilicet), quia (seu quòd, sicut patri inservit) filius, (sic mihi adfuit ; et illud secundum de eo documentum habete quòd) mecum servivit (et mihi subministravit) in Evangelio (propagando) :

Experimentum autem ejus cognoscite, quia, sicut patri filius, mecum servivit in Evangelio.

Hunc igitur spero me (posse) mittere ad vos mox (seu statim) ut videro (et examinavero circunstantias) quæ circa me sunt (et ad exteriorem hominem spectant, ut vos de iis per eum certiores sitis) :

Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox ut videro quæ circa me sunt.

Confido autem (et spero), in Domino (permittente et juvante), quoniam (seu quòd) et ipse (ego) veniam ad vos cito :

Confido autem in Domino quoniam et ipse veniam ad vos cite.

Necessarium autem existimavi Epaphroditum (quoque), fratrem et cooperatorem et commilitonem meum, vestrum autem apostolum, et ministrum necessitatis meæ (seu alimentorum vitæ meæ necessariorum), mittere ad vos,

Necessarium autem existimavi Epaphroditum, fratrem et cooperatorem et commilitonem meum, vestrum autem apostolum et ministrum necessitatis meæ mittere ad vos,

Quoniam quidem omnes vos (videre) desiderabat, et mœstus erat propterea quòd audieratis illum (esse) infirmatum, (et de eo anxii eratis) :

Quoniam quidem omnes vos desiderabat et mœstus erat propterea quòd audieratis illum infirmatum ;

Nam et (revera) infirmatus est (etiam) usque ad mortem (proximam) ; sed Deus misertus est ejus ; non solum autem ejus (misertus est), verum etiam et mei ; (et sanitatem ei restituit), ne (per ejus mor-

Nam et infirmatus est usque ad mortem ; sed Deus misertus est ejus, non solum autem ejus, ve-

rum etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem.

tem novam) tristitiam super (multam aliunde) tristitiam haberem.

Festinantius ergo misi illum ut viso eo iterum gaudeatis et ego sine tristitia sim.

Festinantius ergo misi illum (ad vos), ut, viso eo, iterum gaudeatis, et ego, (qui de mœrore vestro mœstus sum), sine (hac) tristitia sim.

Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino et ejusmodi cum honore habetote,

Excipite itaque illum cum omni gaudio (ut fratrem et patrem vestrum) in Domino; et (virum christianum) ejusmodi cum honore (et in pretio) habetote,

Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

Quoniam, propter opus Christi (quod suscepit cum suo periculo ne pro Christo incarceratum adire ausus est), usque ad mortem (morbo lethali) accessit, tradens animam suam (et suæ vitæ non parcens) ut (apud me) impleret (et suppleret) id (sublevationis ministerium) quod ex vobis (expectare poteram) erga (seu quoad) meum obsequium, (et quod vosmetipsi utpote absentes adimplere nequivistis).

CAPUT III.

Judaizantes et hæreticos refutat Apostolus, docetque contra eos salutem non a lege Mosis sed a Christo incarnato et crucifixo petendam esse. Docet etiam se non esse perfectum sed tendere ad perfectionem. Insectatur inimicos crucis Christi.

De cætero, fratres mei, gaudete in Domino. Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.

De cætero (seu, quoad id quod superest), fratres mei, gaudete in Domino (Jesu Christo qui vobis hanc duplicem de me in vinculis gaudente et de Epaphrodito bene valente consolationem impertivit). Eadem (toties) vobis scribere mihi quidem non

(est) pigrum (seu molestum, præ charitate qua vos complector); vobis autem, (seu quoque, illa multoties audire) necessarium (est, ut inde vigilantiores et tutiores evadatis contra eos qui vobis insidiantur).

Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.

Videte (igitur et nolite audire hos) canes, (scilicet judaizantes); videte (et nolite audire hos) malos operarios, (scilicet, pseudoapostolos qui Judaismum Christianismo miscere volunt); videte (et a vobis repellite illos qui vobis carnis) concisionem (seu circuncisionem tanquam saluti necessariam imponere præsumunt):

Nos enim sumus circuncisio, qui spiritu servimus Deo et gloriamur in Christo Jesu, et non in carne fiduciam habentes;

Nos enim (christiani), sumus (vera) circuncisio (et soli vere circuncisi) qui, (non confidentes in carne circuncisa, sed in) spiritu (carnalia desideria et judaicas cæremonias circuncidentes et resecantes, spiritualiter) servimus Deo et gloriamur (in sola fide quam habemus) in Christo Jesu, et (qui sumus) non in carne (circuncisa nec in legis mosaicæ cæremoniis) fiduciam habentes. (Ne putent Judæi me sic de circuncisione præ invidia maledicere),

Quanquam ego habeam confidentiam et in carne: si quis alius videtur confidere in carne, ego magis:

Quanquam (seu siquidem) ego (quoque, sicut illi), habeam (unde) confidentiam (et gloriationem habere possem, si vellem, in circuncisione) et in carne (et nobilitate et scientia legis quibus ipsi gloriantur; et) si quis alius (judæus) videtur (seu præsumit) confidere in (hac) carne, ego (pariter et), magis (quidem quam ille, his carneis commodis gloriari possum. Nam et ego)

Circuncisus oc-

Circuncisus (sum, juxta legis præce-